

Pontifex ait, quòd *sive ex ignorantia sive ex malitia id fecerint, non sint ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere* etc.

R. Textum istum rectè intelligi, quòd propter delictum vel ignorantiam unius non sint separandi conjuges, quia ignorantia excusat: fraus verò et dolus non debet ei patrocinari, quia ex malitia filium è sacro fonte suscepit; adeòque obligatur debitum reddere; an verò petere possit, nihil clarè ex hoc capite colligitur. Interim cùm sententia ista probabilis et valdè favorabilis sit, utilis erit pro praxi, licèt dispensatio ad petendum debitum sit omninò tutior, quam in casu occulto plerique Regulares dare possunt.

80. Q. VI. *Quis dispensare possit in impediemento dirimente cognationis spiritualis?*

R. Solus Papa, utpotè juris conditor; qui tamen in paternitate difficillimè, faciliùs in compaternitate dispensat, adeòque in supplicatione exprimi debet, an dispensatio petatur super paternitate, an compaternitate.

In *c. 5. h. t.* mentio fit impediementi cognationis imperfectæ ex catechismo ortæ, non dirimente, sed tantùm impediente, quod dabatur inter catechizantem patrinum, et catechizatum parentesque catechizati, dum patrinus baptizandum priùs instruxit, et pro eo ad interrogata Baptistæ respondit. Hoc impediementum sublatum est à Trid. sess. 24. *c. 2. de refor. matrim.*: ità hoc jus consuetudine generali interpretante.

TITULUS XII.

DE COGNATIONE LEGALI. ^a

81. Hic præscienda sunt ea omnia, quæ in jure civili traduntur ed adoptionibus, per quas persona aliena assumitur in filium vel nepotem: vel perfectè per *arrogationem*, qua arrogatus transit in familiam et patriam potestatem arrogantis; vel imperfectè per *simplicem adoptionem*, quæ hodie non operatur effectum patriæ potestatis: adeòque nec propriè patrem, nec filium facit, sed tantùm adoptato tribuit jus ab intestato succedendi in quarta portione honorum patris adoptivi. Vide *tit. Inst. de adopt. l. pen. C. eod.* Cognatio igitur legalis est propinquitas personarum orta ex adoptione, dirimens matrimonium; non quidem vi juris civilis, à quo introducta est, sed hodie vi juris Can., quatenus cognatio ista à Sac. Canonibus recepta et approbata fuit.

82. Q. I. *An impediementum dirimens cognationis legalis oriatur ex sola arrogatione?*

R. Affirmativè: ità ferè omnes. *Prob. I.* Cognatio legalis fundatur in

^a—Agitur de hac materia *Can. 1. et pen. 30. q. 3. et §. 1. 2. In. de nuptiis et l. 14. 17. 55. ff. de ritu nup.*

patria potestate, ità ut adoptans fiat pater, et adoptatus filius patriæ potestati subjectus, ut manifestè constat ex juribus suprà allegatis; nam licèt Sac. Canones utantur termino *adoptionis*, tamen in ipso sensu loquuntur de perfecta adoptione seu arrogatione, quæ potestatem inducit, et solvi potest per emancipationem; *Can. pen. 30. quæst. 3. et cap. un. hoc tit. ibi: quamdiu durat adoptio*, ubi necessario intelligitur emancipatio solvens patriam potestatem, et cognationem inter filium naturalem et filiam adoptatam; sed sola arrogatio, non verò simplex adoptio inducit patriam potestatem (§. 2. *Inst. de adopt.*); ergò. Ratio est, quia impediementum hoc introductum est partim propter indecentiam; quia non decet, ut ii, qui fictione civili habentur patres et liberi, fratres et sorores, inter se copulentur: partim ad vitandam fornicationem, quæ intercedere posset inter personas in eadem familia et domo commorantes; sed neutra ratio procedit in simpliciter adoptato: non prima, quia defectu patriæ potestatis non habetur pater, vel filius, vel frater civilis: non secunda, quia simpliciter adoptatus non cogitur esse in domo et familia adoptantis; ergò impediementum istud non oritur ex simplici adoptione: imò ista neque inducit impediementum impediens, cùm sine claro jure impediementa non sint multiplicanda.

83. Q. II. *Quot sint species cognationis legalis, et inter quas personæ matrimonium dirimant?*

R. Esse tres:—*prima* est in linea recta inter adoptantem et adoptatum, ejusque descendentes, si quos in patria potestate habet; sicut Augustus adoptavit Tiberium cum Germanico (§. *pen. Inst. de adop.*) Et hoc est impediementum in linea recta perpetuum (*l. 14. 55. ff. de ritu nupt.*), quia honestas non patitur, ut aliquando sit uxor, quæ antea per adoptionem fuit filia vel neptis. An verò hoc impediementum in linea recta extendatur in infinitum, ut probabilior tenet, an verò usque ad quartum gradum, inane est disputare; quia vita hominis tam procul non porrigitur.—*Secunda* species est in linea transversa per modum fraternitatis inter adoptatum et liberos naturales adoptantis in potestate constitutos (*c. un. h. t.*), quod desumptum est ex §. 2. *Inst. de nupt. et l. 17. ff. de rit. nup.*; et hoc impediementum est temporale, donec patria potestas durat. Unde sive filius naturalis, sive filia adoptiva emancipentur, fraternitas desinit, et nuptiæ inter eos consistere possunt (*ibid.*)—*Tertia* species est per modum affinitatis in linea recta inter adoptantem et uxorem adoptati, tanquam inter socerum et nurum, et econtra, inter adoptatum et uxorem adoptantis, tanquam privignum et novercam (*l. 14. pr. et §. 1. ff. de ritu nupt.*) Hoc impediementum perpetuum est; quia non decet, ut quis uxorem habeat, quæ sibi aliquando loco nurus, aut novercæ fuit. Ad alias personas impediementum cognationis legalis non extenditur.—Unde consistunt nuptiæ:—I. Inter adoptatum et matrem, aviam vel sororem adoptantis.—II. Inter adoptantem et filiam filiæ adoptivæ, vel filiam illegitimam adoptati; quia nec mater habet patriam potestatem, nec pater respectu illegitimarum, (§. 10. *de adopt.*), et consequenter cum matre aut patre non transeunt in potestatem adoptantis.—III. Inter filium illegiti-

mum adoptantis et filiam adoptivam ob eandem rationem.—IV. Inter filium adoptatum et filiam adoptatam, vel inter eorum liberos, etsi omnes essent in potestate adoptantis: nam adoptati, licet cognationem contrahant cum liberis naturalibus adoptantis, quandiu potestas durat, tamen inter se nullo cognationis vinculo ligantur.—Nec obstat, quod in eadem familia morentur, sintque in periculo fornicationis; quia impedimenta ob similitudinem rationis sine jure non sunt asserenda.

84. Q. III. *Quis dispenset in hoc impedimento?*

R. Solus Papa: sed in linea recta cognationis et affinitatis, ob magnam indecentiam, difficillima est dispensatio: in linea vero transversa non opus est dispensatione, quia per emancipationem unius solvitur hoc impedimentum.

TITULUS XIII.

DE EO, QUI COGNOVIT CONSANGUINEAM UXORIS SUÆ VEL
SPONSÆ. ^a

85. Q. I. *An, et quod impedimentum incurrat fornicans cum consanguinea sponsæ vel uxoris suæ?*

R. 1.º Sponsus fornicans cum consanguinea suæ sponsæ, incurrit impedimentum affinitatis, quod hodie dirimit matrimonium usque ad secundum gradum, et non ultra (Trid. S. 24. c. 4. *de reform. matr.*), quo casu priora sponsalia solvuntur propter affinitatem: nuptiæ verò cum deflorata, si celebs est, consistere nequeunt, propter obstans impedimentum publicæ honestatis: et hoc impedimentum affinitatis ex copula illicita adhuc est in usu, ut patet ex *cit. Trid.* et incurritur etiam ab ignorantibus; quia non tam est pœna, quam inhabilitas ob indecentiam: quia non decet tales personas inter se copulari. Nomine *consanguineæ* venit, in hac materia odiosa, consanguinea *naturalis*, non verò *legalis* ex adoptione, vel *spiritualis* ex baptismo aut confirmatione.—Alterum impedimentum, quod complex, altero complice vivente, non possit inire matrimonium cum quacumque alia persona per c. 12. *de despons. impub.*, consuetudine contraria abrogatum est; vel sicubi viget, dispensare in eo potest Episcopus.

2.º Maritus incestum committens cum consanguinea suæ uxoris incurrit privationem juris petendi debitum: reddere tamen tenetur, ne pars innocens alieno delicto gravetur (c. 1. 4. *fin. h. t.*) Hodie hoc impedimentum affinitatis non extenditur ultra secundum gradum per *cit. Trid.*, ita ut privet jure conjugali, licet cognoscens consanguineam uxoris in tertio vel quarto gradu teneatur circumstantiam istam aperire in confessione,

^a—Agitur de hac materia in Decreto 32. q. 7. *Can. 19. et seqq.*, et Trid. S. 24. c. 5. *de reform. matr.*, ubi statuitur de impedimento affinitatis ortæ ex copula illicita.

Sac. Congreg. Conc. et S. Pius V. motu proprio edito 20 Aug. 1566. Et quamvis multi velint privationem juris petendi debitum incurri ab ignorantibus propter naturalem affinitatem et indecentiam, oppositum tamen etiam videtur probabile, maximè respectu simplicium, licet tutior sit dispensatio, quam plerique confessarii regulares vi suorum privilegiorum impertiri possunt.—Alterum impedimentum, ne complices matrimonium inire possint cum quacumque alia persona (inter se enim nequeunt ob impedimentum affinitatis) per c. 23. *concubuisti* 32. q. 7., contraria consuetudine abrogatum est.

3.º Jus statutum de sponso et marito, etiam procedit de sponsa vel uxore fornicante cum consanguineo sponsi aut mariti; nam in hoc casu propter identitatem rationis non debent ad imparia judicari: et de fœmina idem statuitur c. 21. *si quis viduam* 32. q. 7. et c. 9. *si quis* 34. q. 2.

86. Q. II. *An incestus commissus cum propria consanguinea primi vel secundi gradus impediat matrimonium cum quacumque persona contrahendum?*

R. Negativè: quia id nullo jure constat: majoritas verò delicti non facit extensionem impedimentorum.—Nec obstant antiqui Canones; nam loquuntur de incestuosus contumacibus nolentibus parere monitis Episcopi: et his imponenda est publica pœnitentia, qua durante, per accidens impediuntur nuptiæ (c. *fin.* 35. q. 8, et si qui alii Canones sunt ex causa eadem q. 6 et 32. q. 2 et 3.)

TITULUS XIV.

DE CONSANGUINITATE ET AFFINITATE. ^a

87. In h. t. examinatur duplex impedimentum dirimens, scilicet, consanguinitatis et affinitatis ortæ ex copula licita.

Nota I. Consanguinitatem dici quasi sanguinis unitatem, eamque accipi:—1.º Vel *strictè* seu civiliter pro vinculo carnali intercedente inter liberos ex eodem patre et diversa matre natos: quo sensu fratres ex eodem tantum patre nati, dicuntur *consanguinei*: ex eadem tantum matre *uterini*: ex eodem patre et eadem matre nati *germani*. *Latè* seu naturaliter, quo sensu *consanguinitas* est: propinquitas personarum, quæ ab eodem propinquo stipite masculino aut fœminino per carnalem propagationem descendunt. Dicitur à *propinquo stipite*, putà, ut ejus gradus in morali æstimatione numerari possint; alioquin omnes homines essent consanguinei, quia ab eodem Adamo propagantur. *Stipes* continetur intra lineam con-

^a—Agitur de his in *Clem. un. h. t.*—In Decreto 35. q. 1. 2. 3. 4. 5. 8. 9. 10. *per tot.*—In Trid. sess. 24. c. 4. 5. *de reform. matrim.*—In Institution. lib. 1. tit. 10.—In Pandectis sparsim *tit. de rit. nupt.*—In Codice sparsim *tit. de nupt. et tit. seq. de incestis, et inutil. nupt.*